

Ann. IX.

ROMAE, Kal. Iunii M DCCCC VI.

Num. VI.

# VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;  
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo  
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

*Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem*  
**ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA**



## Subnotatio fieri potest:

### IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKĄ RODZINNĄ"

VARSAVIAE POLONORUM  
Rakowskie Przedmiescie, 15

### IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM  
Krakowskie Przedmiescie, 6.

### IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET  
S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.

LONDON W.  
28, Orchard Street.

### RATISBONAE in BAVARIA.

### IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL  
1699, Rue Notre-Dame

## RERUM INDEX

**De praestantia latinae linguae in re diplomatica.**

**De poesi.** - III. Poeticae facultatis venustas.

**Mauri Ricci carmen de pontificibus romanis.**

**Plutarchi opiniones de bellis.**

**Colloquia latina.** - Ludus lapidum orbicularum ad metas.

**F. Van Mieris tabula praeстиgiatorem effingens.**

**Geografiae notae.** - Samnitium ducis in Africam iter.

**Ex Italis urbibus.** - De nuperis Taurinensium perturbationibus.

**Acta Pontificia.** SS. D. N. PII Divina Providentia PP. X litterae encycliche Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Varsaviensi atque Episcopis Plocensi et Lublinensi apud Polonus.

**Diarium Vaticanum.** Coram SSmo admissions. - Pontificiae electiones. - Vita funeti viri clariores. - Varia.

**Annales:** Russicus coetus legibus ferendis primum coactus. - Turcarum cum Aegyptiis discordia. - Mauritanae seditiones. - Balcanicae res. - Guilelmi Caesaris itinera. - Olympici ludi. - Regiae nuptiae.

**Publici per Orbem coetus legibus ferendis.**

**Aenigmata.**

**Libri recens dono accepti.**

*In tertia operculi pagina:*

ZENO - Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli. (Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.).

## ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M DCCCC VI

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS  
Comm. VOX URBIS in an. MDCCCCVI.

Pretium annuae subnotationis est in Italia Libell. 4,80;  
ubique extra Italianam Libell. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5;  
March. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25 *recto tramite* mitten-  
dum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM  
COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM  
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA:

**Qui socios novos comparaverit duos** premiumque eorum  
subnotationis mi-  
serit, subnotationem gratis omnino sibi habebit.

**Qui triginta socios novos comparaverit** ante Iulium  
mensem – bi-  
bliopolis exceptis – dimidiatum premium itineris habebit a quovis Europae  
loco ubi vivat Romam usque, atque inde in domum suam, secunda, prouti  
vocant, ferriveharum classi usus.

**Qui sexaginta socios novos comparaverit** uti supra,  
eodem iti-  
nere gratis omnino fruetur.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italiam:  
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

## De praestantia latinae linguae in re diplomatica.

**O**MNIUM populum aequalitas merito experit ut unusquisque ipsorum proprio utatur sermone in diplomaticis negotiis gerendis (1). Hoc autem ius nonnullis in regionibus saepe saepius exercitum est prout cuilibet pro tempore aptius inventum fuerit.

Sed iampridem maxima commoditas reperiri visa est quampluribus nationibus aliquam pacis vel foederis, commercii vel rei navalis, inter se rationem habentibus, in illa adhibenda lingua, quae ad eorum mores et instituta sese magis accomodaret earumdemque in familiaritate praesertim versaretur.

Iacturae detrimentaque ex diversitate idiomatum manantia, neutro intellectuque facilis sermone opus esse monuerunt qui gentibus, quarum maxime interesset, praesto fuisse.

Eiusmodi, in Aevo Medio latina lingua tum in actis publicis conficiendis, tum in pactis vel foederibus sanciendis universim usurpata est et, huc illuc obvertens, validiorem se ceteris praebuit et usquequa strenue perstat.

Coniunctim Romanorum Pontificum Curia in *Bullis*, in *Brevibus*, in sermonibus, in cunctis exteris Actibus latinam linguam derelinquere hand opportunum censuit, praesertim quod missionibus, quae totum orbem paene innumera-biles complectuntur, quaeque Pontificiae auctoritati proxime parent, nulla congruentior inveniri posset, prout res postularet, vel quae libet iussa ex necessitate confessim peragenda essent.

Romae autem potius quam alibi hoc dicendi genus necessario servandum erat. Nam, quum ethnicae humanitati christiana quodammodo superimposita fuerit humanitas, quod praecipue in omnibus urbis monumentis facile est inspicere, itidem, quum ex verbis omnis conficiatur oratio, atque sine iis nihil evolvi possit ad illum nexus comprobandum qui, mutata utriusque cultus forma, transitum prioris in alteram efficit, latinus sermo, quamquam veteri destitutus nitore, quem in aurei Augustaei saeculi scriptoribus potissimum intuemur, constanter manet, ut ex verbis, quae adhunc sunt in more, certe ostenditur, puta: *Pontifex, imperator, rex, consul, tribunus, legatus*, aliaque huiuscemodi. Unde nobis absque dubio liquet perpetuum omnium gentium usum ut sua lingua scribant, magnam semper habuisse exceptionem, modoque habere; multi enim, quorum nomen hac scribendi laude est insigne, aliena

quoque lingua sibi saepe scribendum et loquendum duxerunt; quam rem non privatos homines modo, sed populos constat fecisse, idque multis de caassis, quarum prima est imperium, quod quamplurimos populos non modo ad scribendum, sed etiam ad loquendum hac ipsa latina lingua impulit.

Quod si, ut recte ait Tacitus, (1) immensum imperii corpus stare ac librari sine rectore non potest, ita commercia, eidem imperio subiecta, lingua indigent quam omnes Europae nationes perdiscant eademque homines a primis annis imbuantur. Nos enim historia ipsa iamdudum docet non in Europa dumtaxat multas gentes, sed in Africa et in Asia quoque latino sermone vulgo usas fuisse, quae res, quum multis indiciis patet, tum Plutarchi gravissimo testimonio evincitur (2), qui affirmit aetate sua latinum sermonem omnibus provinciis et gentibus communem factum eoque omnes populos et nationes uti, neque distinguit loquendone, an scribendo.

Qui enim de publicis rebus legati ad Senatum a civitatibus mittebantur, orationes latinas habebant, simulque civitatum snarum iura et postulata latine scripta edebant. Ad hoc provinciales homines cum Romanis civibus rationibus, usibus, commerciis erant implicati; ut necessario epistolae ad illos sermone latino scriptas mitterent eademque lingua tabulas accepti et expensi conficerent, locationumque, venditionum, mutuorum, permutationum, contractum omnium latine essent conficienda.

Idcirco in earumdem epistolarum, seu tabellarum, usu, fontem diplomatum detegere licet, ex qua diplomatica quoque ars ortum habuit. Etsi enim quae iuris publici sunt ab iis, quae ius privatum spectent, secernantur, attamen diplomatici vocabulo documentum illud praecipue intelligi solet quod, iuxta formam, dat esse rei, nempe cuiusvis speciei actibus iuris rationem habentibus.

Nam, si vim verbi spectemus, diploma nihil aliud est quam « duplum », origine et significacione par, sed latine ex graeco vocabulum detortum, quo significantur litterae principis, aut magistratus, quibus aliquid alieni conceditur, ita dictae a forma, quia formabantur in modum tabellarum duplicium (3). Praeclara hac de re scripta in lucem edita sunt, quorum

praestantissimum illud Mabillonii quod *De re diplomatica* inscribitur (1).

Hoc posito, colligere oportet diplomaticae rei scientiam vel artem, quum ad relata inter orbis dominia pertineat quae imperii vel regni, reipublicae vel foederis nomine hactenus appellari consueverunt, illam ipsam habendam esse magni momenti pae ceteris, quippe quae inter populos omnes excelsius continuo fastigium attigerit, progressumque humanitatis sciverit; inter enim monumenta quae historia servat, nulla praestantiora apparent auctoritate et vi quam quae ex Summo Principatu directo oriuntur, ac praesertim transactiones, concordatus, pacta, tractatus conventionesque omnes diplomaticae, quibus archivia populorum, titulique nationum gignuntur, itemque iura amissa vel acquisita declarantur. Hoc autem continuo factum est, fierique solet per diplomata illa quae sermone italicio *Lettere credenziali*, hispanico *Cartas credenciales*, gallico *Lettres de créance*, anglico *Letters credenciales*, germanico *Begläbigungsschreibens*, russico denique *Vieriteljnija gramothi* vocantur.

Neminem profecto latet Westphaliensis pacis tractatum, bello Triginta Annorum confecto, Munigardevordiae primum, Osnabrugae postea, anno MDCXLVIII, ratum habitum, ab omnibus scientiae civilis peritis veluti Codicem Nationum hucusque perpensum fuisse. Etsi enim nonnullas post pactum Traiectinum (2) mutationes sustulerit, ille, prior omnibus, iuris publici principia, quae deinde in institutum ferme conversa sunt, asseruit; inter quae potissimum eminent legationum permanentium consuetudo et gallici sermonis in negotiis diplomaticis usus; quantumvis, saeculo XV exeunte, iam Hispania ad illud pervenisset ut Castellanus sermo in iisdem adhiberetur. Sed hic parumper sufficit; neque affirmari potest gallicam linguam uti « officiale », vi iuris publici inter populos etiamnunc prorsus susceptam; revera, capitula pacis in Congressu Bastattensi, anno MDCCXIV comprobata, quibus Carolus VI Imperator et Aloysius XIV Rex mutuas sibi concessiones praesterunt, etiamsi gallico sermone exarata fuerint, attamen eadem in latinam linguam vertere, iuxta germanicae traditionis morem oportuit; huncque laborem nationum singularum legati simul obiverunt (3).

(1) MABILLON (D. J.), *De re diplomatica*, libri VI, Paris 1681, in fol.; 2<sup>a</sup> edit., 1704.

(2) *Trattato d'Utrecht*, anno MDCXLVIII.

(3) Ofc. PIERANTONI, *Storia degli studi del Diritto internazionale in Italia*. Firenze, 1902, pag. 782.

Imperium autem Turcarum, quantumvis in extimis relatis arabum vel scythicum sermonem iugiter usurpaverit, nihilominus iisdem latinam translationem adiicere perpetuum statuit. Itemque Imperator Austriae et Rex Hungaricus, peculiare quoddam testimonium de usu et praestantia latinae linguae perhibuit in transactionibus diplomaticis, praesertim circa res cisleitanas, ope administrari Andrassy et adlegati Dupont, perpensis et adprobatis articulis, qui deinceps, in conventu Berolini habito, sancti fuerunt, quorum adhuc instrumentum latine exaratum, propria manu signatum, imperiali auctoritate ratum habitum in Curia Vindobonensi, apposita in litteris die, autographice exscriptum permanet.

Hoc posito, quidnam argendum vel colligendum, nisi quod, nulla inter potestates invicem pacientes norma scribendi usquequaque exstante, votum ab iisdem sacretur ut unus ille sermo delegatur atque sumatur pro civilibus gentium iuribus tuendis atque definiendis, qui ad quorumlibet ingenia et mores aptetur? Imperiorum enim et regionum simultates diu vetuerunt ac vetant adhuc ut illud votum etiam nunc impleatur. Hac, procul dubio, ratione, latina lingua, non extincta prorsus, omnium praestantissima videbatur in propositum redire, quippe quae in neutram partem movens, communis omnium gentium iuris usui opportunior inveniretur, ut iam disciplinarum omnium et doctrinae principiis evolvendis continententer satiascere visa est (1).

Ceterum, quum aetate nostra saepissime evenierit cuilibet iuris gentium tractatui, gallica lingua confecto, clausulam adiectam fuisse, qua undique animadverteretur, ut in posterum quaelibet potestas vel quodvis imperium sibi ius propria utendi lingua reservaret, nullam aliam linguam officiose suscipiens semperque translationem latinam vel gallicam addens, quotiescumque mutua necessitas id postularet, hoc manet suffragium, si qua in posterum lingua neutra vel «tertia», ut ita dicam, accipienda foret, ea demum adhibetur in transactionibus sive negotiis diplomaticis, quae omnibus, quadam ferme insita virtute, praestet, latina scilicet lingua.

Quamvis enim qui latine scribunt ita exagitantur ut nullorum scribentium durior umquam fuerit conditio propter quoddam exortum hominum genus quibus studium est latinam linguam insectari ac nonnulla quoque asperitate verborum interdum perstringere, illud tantum pro clausula huius parvae dissertationis ponere non dubitabo, latinum sermonem sublimem esse, magnificum, locupletem, verbis splendidis fulgentem, omni asperitate vacuum, mira iucunditate temperataque suavitate nitentem, ideoque eius usum in negotiis diplomaticis, iis sive, quibus nationes, imperia, populi cognatione quadam inter se continentur, praestantissimum omnibusque potiorem fortasse existimandum esse.

Hoc igitur mihi liceat expromere votum: Utinam latina lingua inter omnes populos re-

(1) Vide: *Courrier diplomatique du 31 Janvier 1872*, et opus: *Cours de Droit diplomatique* par P. PRADIER-LODÈRE. Tome II, Paris 1881, pag. 419 et seqq.

viviscat, in qua romana maiestas adhuc spirat, quaeque splendore et pulchritudine sua decorum et dignitatem rebus addit.

ANTONIUS MARTINI.

## DE POESI<sup>(1)</sup>

### III.

#### *Poeticae facultatis venustas.*

**S**ED ut facultatis poeticae, quam veteres sermonem Dei esse finixerunt, venustas eniteat, penitorem eius naturam in quasdam velutinae partes dispescamus: quas quum singulas percensere spatii angustiae non sinant, aliquam saltem ex iis intueamur, ut facili negotio idem de reliquis iudicium ferre possimus.

Amoenum sane, et simplici venustatis decore effulgens se nobis intuendum exhibit illud carminum genus, quod pastoribus de re campestri sermonem miscentibus tribuitur. Nihil in eo sublime, nihil altum, nihil pastorum moribus non respondens: mores ingenti, vita curarum nescia, paucis contenta, eorum dives, quae tellus laeto sinu suppeditat: quae tot tanta sunt, ut in illis percensendis Maro voces exsultantis animi cohære nequiverit: « O fortunatos nimium sua si bona norint agricolae »; quam sententiam graecis e fontibus hauserat: hi enim campestrem vitam saepenumero σεμένων, καλόν, εὐδαίμονα appellant: agrum divinum quid praefere Menander affirmat, τόγχρο τρέφον με, τουτ' ἐγώ καίνω θεόν. Possem hoc loco Xenophonis in libro, qui *Oeconomicus* inscribitur, possem Hesiodi in *Theogonia*, et aliorum hanc in rem sententiam proferre, sed Nazianzeni utar verbis, qui pauperem de sua tenuitate gloriantem sic in oratione inducit: « Grex mihi exiguus, at in praerupta non fertur, angustum ovile, sed quod lupis non pateat ».

Animo parumper campestres ideas revolvit, et ob oculos ridentis ruris imaginem ponite. Quinam varietate iucundior, aut laetior adspectus, quam colles leniter assurgentis, elivi, et iuga vitibus pomiferisque consita arboribus; hinc speluncae vivique lacus, illinc prata late virentia, hinc rivus muscoso e lapide prossiliens, illinc agri messibus laeti, modo armenta et lanigeri greges impune per florea rura paucentes, modo aves gurgite suavi vernantes inter arborum comas? Quare nil mirum, si tanta capti venustate vel summi vates beatissime vivere agricolas dixerit, sibique hanc urbanis rumoribus vitam praeoptarunt. De sabinis rure ait Horatius: « Sit meae sedes utinam senectae, sit modus lasso maris, et viarum, militiaeque »; et alibi: « Beatus ille qui procul negotiis paterna rura bobus exercet suis ». Nec Tibullum equitem romanum pignit ruricolum agere, foetumque capellae desertum oblita matre referre domum. Novit quoque id Claudianus quum ait: « Felix qui propriis aevum transegit in arvis ». Novit Politianus dicens: « Felix ille animi, divisque simillimus esto cura Deum agricola ». Novit Frascatorius veronen-

(1) Cfr. an. IX, n. I, II.

sis, quum suum Turrianum ad ruris delicias vocabat; novit Flaminius forocorneliensis, dum Farnesium sub fictio nomine Iolae ut agellum invusat, exorat; novit denique Sannazarius, quum suam Mergellinam describit. Quid ergo mirum, si veteres poetae rura, fontes, sylvas campestribus divis impleverint, et hunc hortis, hunc vindemiae, hunc frugibus praefecerint, musarumque chorum inter montis iuga locant? Nimium profecto in longum abirem, si id aliis evincere argumentis conarer. Multa enim Moschus siculus suppeditaret, qui teste Suida, Aristarchi, et Ptolomaei philometeris familiaritate utebatur, multa Bion smyrnaeus, innumeris vero pater ille, et princeps bucolici carminis Theocritus syracusius, qui primus apud reges Aegyptios novo idylliorum genere est usus. Hic in idyllo septimo, ut reliqua omittam, in campestri descriptione immoratur ubi ait: « Εν τε βαθείαις χάσμασι σχύνοιο χαμεύνισιν εκλίνεται... qui locus P. Vergilio uberem sane imitationis segetem sub finem eclogae primae suppeditavit. Cum vero pastores in idylliis contendentes inducuntur, quidnon cum summa venustate effingitur? alios enim pastores aliis nobiliiores finixerunt, ut βούκολοι, et ποιμένες, qui boves, aut oves ducerent, alios vero despicienes ut αἰπόλοι, et συβάται, qui capellas et sues agerent. Iure optimo itaque hoc carminis genus eclogas dixere, quasi e reliquis carminibus electum, ut vox graeca sonat. Quae de bucolici poematis venustate primoribus labiis attigimus, eadem sed parce detorta possunt de aliis carminum generibus affirmari, quae ut omittam, spatii angustiae me admonent.

A. ANGELINI.

#### MAURI RICCI CARMEN

#### DE PONTIFICIBUS ROMANIS.

**M**EMINERINT lectores illum numquam satis defletum latinitatis arbitrum Commentariique nostri patronum Maurum Ricci, paucis ante mortem diebus, ne se, cui diem supremum iam imminere divinabat, abreptum omnino nostris laboribus pateretur, Iosepho Fornario, qui etiam tum in *Voce Urbis* redigenda primas agebat, quemque peculiariter dilectione adolescentem iam fuerat complexus, scripta sua latina paulatim evulganda tradidisse; quod revera fecimus (1).

Quum autem his diebus eius iterum memoria aliaque carmina succurrissent ea peculiariter de causa, quod sociorum quidam nobis proposuerint ut passim speciminis gratia exemplaria ederemus scripti alicuius versibus aut soluta oratione a sermonibus aliis in latinum translati, magistri desideratissimi latinas interpretationes proferre brevi constituimus, praemiso hodie carmine *De Romanis pontificibus*, quod Pio IX sui pontificatus anno XV ille inscrisit, et est prouti sequitur:

*Romuleum perit robur, ceciditque superbum  
Trojogenum genus, Ausoniae quo pinguis culta  
Ingentes dederant ferro vastata ruinas,*

(1) Cfr. an. III, n. IV, IX et XXIV; an. IV, n. II et XII; an. V, n. VII et XIII, etc.

Turbine bellorum postquam est dominarier ausum,  
Horrisono ac tellus tremuit convulsa tumultu.  
Iam loca luta silent, nec fraena ad proelia mandit  
Hinnitu bellator equus ruiturus in hostes,  
Quos acutus clamorque virum, clangorque tubarum.  
Pulcra magis visu placida sub pace quiescens  
Salve, Roma potens, sanctis decorata triumphis,  
Quos non ulla valet tenebris abolere vetustas.  
Laetior assurgens mons Valicanus ad auras  
Haud gladios praefert, fratumve horrenda crux  
Arma, sed imbelles claves gemmamque potentem;  
Excelsique sedent candidi veste decori  
Pontifices, tria gestantes in vertice regna,  
Quique effata, prius nullis audita, recludunt.  
Cedite, quaequo, locis animaque umbraeque virorum,  
Quorum fallaces spirant fallacia musae;  
Nam nova percipient dociles praesagia gentes,  
Ac dissent quae verba sonent, quae deinde sequantur  
Fortia facta, aevi longos memoranda per annos.  
Namque acies contra, minitantis et ora tyranni,  
Imparidi sistent: magno sit gloria Petro  
Efflavisce animam atrocis non ense Catonis,  
Cum libertati nescit superesse latinae;  
Sed crux hunc tollat, pro religionis amore.  
Discite, Pontificum proles oritura magistro,  
Qui maneat casus, et quae sint dura ferenda.  
Nam saepe heu! vestro turgescere sanguine rivi,  
O Patrum spectanda manus! perculta securi  
Ecce rubet cervix alis, aliosque repente  
Dentibus infrendens, laqueis vix bellua fractis,  
Dilacerat, sanctosque trahit crudeliter artus.  
Horrida nec miseri stultae spectacula plebi  
Aut gemitus edunt, neu poenas voce reposcunt.  
Cur laudatur adhuc absorptus Curtius igne,  
Dum strident vomitae, saliuntque voragine flammæ?  
Scaevola cur vivit, palmam quod gesserit ustam,  
Extollitque virum numeris aeterna poësis?  
Mendaces vatum linguae! ipse haec maxima dicam,  
Vatibus ipse minor totum vivenda per aevum,  
Carpere nec patiar tantas oblivia laudes.  
Sed tacuere minae, caedis stetis impetus: altum  
Altius assurgat carmen. Trepidantque, ruuntque  
Imperi reges, qui sub diademe tutum  
Erexere caput, contraque stetere Tonantem.  
Scande gradu devicta, Pater, Capitolia; venit  
Tempus, quo sanctis societur clavibus ensis,  
Et sacra quo dominae Fidei iam pompa nitescat.  
Certatim populi, deflexo et poplite reges  
Te nomenque tuum venerentur, et oscula figant:  
Indutique stolis stent centum utrimque ministri,  
Centum habeant claves reserantes oppida et urbes,  
Per mare, per terras, rapide ceu fulgurat ignis.  
Tu caelos terrasque vocans rex atque sacerdos  
Haud falso Omnipotens cunctis orabere votis.  
Tu pauper, nitido at frontem circumdatus auro;  
Tu famulus, tamen immensus tibi serviet orbis;  
Tu verbi panem frangens sermone pedestri,  
Sed tua mens aquila tanget sublimia pennis.  
Iam vatem, Hildebrande, rapis quo Tuscia gestit,  
Aerea vis animi, flamas iaculata Chimaera,  
Crimina cum terres, mores pellisque pudendos;  
Fulmina cumque irae vibras, quibus exul, inermis  
Deiicitur solo foedatus caede tyrannus;  
Perque Alpes, rapida resonantes ungula equorum,  
Advolat, ut precibus maledicta minasque retundat.  
Tollat io plaudens, iterumque iterumque Sacerdos  
Clamet io; vicit, domuitque potentia Petri.  
Surgere iam video fortissima pectora Iuli,  
Qui spumantis equi tundit calcaribus armos,

Proelia sancta gerens, iuris defensor honestus,  
Vel sedeat iudex, pugnans vel currat ad arma.  
At si compositæ conquirant otia gentes,  
Tum Michaël, divus mage quam mortalis, in urbe  
Marmore vel tabulis finget miracula visu,  
Quae praesens aetas memoret, venturaque poscat.  
Iamque riam celerans tu dein fastigia scandes,  
Albo vectus equo, phaleris fraenisque decoro,  
Nomine dictæ Leo, ingenio sed mitior agno,  
Qui decus artificum, quibus Italia gaudet alumnis  
Ora, feres verbis opibusque ad sidera caeli.  
Tu, Raphaël, silvas patriæque cubilia linquens,  
Cum Christus, facie conversa, in culmine montis,  
Et nive candidior, mulcenti et lenior aura  
Splenduit, in tabulis referes, altissime quoquot  
Spectandas ponent unquam, aut posuere figuræ.  
Quis tamen omnigenas breviter complectier ausit  
Sideribusque pares, et quas agit Eurus arenis,  
Pontificum laudes? noscant teneantque nepotes,  
Non, volvente die, lapsas, sed clarus auctas,  
Usque revicturas; robur dabit ipsa ruina.  
Alpibus emissas equitum peditumque catervas  
Arbiter Europæ regnorum, fulmen in armis,  
Mente animoque potens duro clamore ciebit;  
Italo et Italiam ridebunt auspice Galli.  
Flent matres plorantque viri, cum moenia Romæ  
Obsidione premunt; iamque alta palatia tentant,  
Sternuntur portæ; sancti penetralia regis  
Irrumpunt, rapiuntque senem, qui pectus inerme  
Obiecit metuenda canens oracula vates.  
Vicerunt fortes: horum violentia nomen  
Extulit, at vobis mentis victoria mansit.  
Alter in ignota occumbens desertus arena;  
Alter dura fugae patiens et dura viæ,  
Magnus uterque Pius, belli quod vicerit ictus,  
Propositique tenax, firmusque haud iura resolvens  
Densas ante acies, extenta aetate virebit.  
Haec tibi facta sient nunc admiranda virorum,  
Queis augusta cohors micuit spectabilis aero;  
Dum splendore nitens auri procedis ad aras  
Sancta litaturus manibus libamina, felix  
Quod Deus insignem vocet alta ad munia. Quantos  
Cogeris duros animo perferre labores,  
Per loca, perque domos rerum grassante tumultu!  
Hi, quibus acta pio dederunt gestare triumpho,  
Qui Petri vectam rexere per aequora navim,  
Orati vires addant animosque ministrent.  
Macte igitur virtute nova, supreme Sacerdos;  
Nam prius errabunt converso flumina cursu,  
Quam Stygii valeant ictus confingere summae  
Stantia tecta domus, circum quae mille gerentes  
Igne tela manu, Christo ductore, catervæ  
Aeternos agitant clypeos, et proelia clangunt.

#### PLUTARCHI OPINIONES DE BELLUIS.

**P**LUTARCHUS felix inter philosophos dicendus est, eniū sane fortuna perpaucis contigit: qui enim vitam duxit per magisterii exercitium atque per itinera, senectutem habuit honestissimam, atque sacerdos Apollinis in Beotiae nativo eius oppido factus, annis plenus obiit. Adstiterunt ei quoque in Urbe fata, quae, Neronis aetate, quum quisque fama sapientiae aut doctrinae in discrimen veniret, eum obscurum servarunt et ab odiis, et invidia et ab aemulis tutum. Felix quoque vultu apparuit, eius si simulacris credamus, quae venustum illum et

comptum adhuc nepotibus exhibent; felix postremo nomine, quod licet sero clarum obtinuit, mansit tamen tot per saecula ad nos usque, qui adhuc libris eius mentem et animam nutrimus.

At si philosophus revivisceret, unum tantum, puto, doleret, neglecta omnino quae ipse præcepta de animantibus curandis scripto tradidit; quae si seorsim præclo vulgarentur, pluribus forte nota essent, quam hodie fiat, quum quisquis ea expiscare cogatur per mare magnum, ubi *moralia* documenta sua vir reliquit. Tria vero capita animantibus dicata in libro sunt hisce titulis: I Quae animantia potius homines mente aemulentur: terrestria an aquatica? II Animantia rationis usum habere evincuntur; III Usus comedendæ carnis. Quorum prima duo dialogorum in formam descriptsit, tertium familiari dissertatione constat: ex tribus vero facile colligitur auctoris fuisse consilium, ut cives suos erga bellus humaniores redderet.

Quae tamen quum moneret, impossibilia vel gravia nimis auctor non postulabat, ut nimirum circensibus ludis et agonibus belluarum valedicerent, vel venatione aut carnium cibis abstinerent. Sed quum comedimus carnes id explendae tantum famis causa, non ingluvie tantum faciamus; atque si belluae occidendæ sunt, torquendæ tamen non sint, cumque eis perquam humanissime agamus. Num enim peius vitae genus ducemus, si a mactandis belluis una crudelitate abstinuerimus, aut si eas ad pugnandum invicem non incitaverimus, ut inde voluptatem hauriamus? Addebat immo: «Quum aliquid oblectamenti causa facimus voluptatis nostræ comites animantia, iis nobiscum frui suo modo oportet». Iure enim Plutarchus opinabatur saevitiam hominum erga animantia tunc esse, quum iis abutimur; haud vero quum iure ea adhibemus.

Nec crudelitas ulla esse potest quum bellus occidimus quae commoditatæ nostræ adversantur, neque est quum eas edocemus atque instruimus, ut nobis serviant quae ad hoc edidit natura. Addit autem philosophus, «viventes creaturas non perinde habenda esse quam calceamenta aut utensilia, quae quum usus nimis detriverit abiiciamus, sed ut præsertim cives nostros doceamus pios esse erga bellus nos oportere». Perraro enim commoda senectus bellus contingit, quae plerumque quum aetate in valuerint ferro traduntur. Nonnumquam vero paratur seris eorum annis domicilium, ut Plinius senior atque Plutarchus de Pericle narrant. Qui quum Minervæ aedes Athænis aedicaret, mulos permultos ad vehendas petras in montem adhibebat. Quorum quum nonnulli inter asperum laborem senescerent propalam mittabantur, solutique in arva publica; at ex iis aliquis senior quotidie ad petrarum fodinas fidelis ibat, totamque per diem ceteros, libero licet dorso, ducebat ad acropolim currus et sarcinatas. Quae quum vidissent Athenienses non sine admiratione decreverunt publico aere mulum alendum quoque viveret, qui, ut Plinius ait, ad octogesimum usque aetatis annum pervenit, ut plerisque emeritis stipendiis viventibus accidere solet.

Plutarchus autem absurdum putabat, sensus et imagines bellus quoque esse tradita,

ratione vero homines uni pollere; non enim sensus absque ratione esse credebat, neque alias intelligi posse autumabat animantium memoriam et intelligentiam nisi ratio iis succurisset: neque belluam nisi ratione praeditam dissita pertimescere posse, aut utilia aut absentia desiderare. Aiebat immo et mores rationabiles bestiarum esse proprios, quae reapse filii suis admodum student; pietas enim filiorum quasi fundamentum est totius civitatis.

Quodsi minor rationis lux in alterutro afflugeat, non est idem atque eius absentiam arguere: sunt enim inter homines quoque alii nullo, alii exiguo praediti consilio, ita tamen ut vel per paulum in omnibus mens colluceat. Rationis vero exercitium minus magis perfectum tum ex cuiusque natura, tum ex doctrina, tum ex consuetudine pendet. Ceterum si hominum mens vincit mentes belluarum, belluae contra hominem vineunt oculorum acie aut aurium; sed nemo inde concludat hominem esse caecum aut surdum.

Stoici philosophi, quum humanitatem in belluas esse adhibendam voluerint, ratione tamen omni carere eas asseruerunt. Qui enim iis ad labores nostros terra marique sustinendos uteremur, aut quomodo absque eis opera exploremus nostra, si animantia omnia nostrum similia putaremus, atque ea quasi homines haberemus non male umquam sed bene ut famulos? At contra ait Plutarchus Empedoclen atque Heraclitum naturam iniustitiae arguisse, quia belluas sineret ab hominibus captari et, ut imbecillas, eorum manibus illigari iugo et compedibus vinci. Quare suadet auctor ut belluis quasi auxilio homines utantur; vita eorum vero, nisi necessitas postulet, omnino abstineant.

Sed alterum ex διαλογοῖς eius hoc dubio ex abrupto praecluditur: «Quomodo rationem habent viventes, qui Deum ignorant?» Nec quaestioni principi responsum fuit umquam; forte immo responsio posteriori aetate abrasa est. An forte belluarum infantiumque similitudinem auctor recolebat, qui, etsi rationis crepuscula possideant, nihil tamen de theologia sciunt?

Ut autem placuit Plutarcho in vita illustrium virorum enarranda magna gesta et exempla ad puerorum eruditionem recolere, ita quum de belluis scriberet Romanos voluit leniores reddere erga eas, studens eorum captare mentes fictis quoque narratiunculis, quae ab aliis fidus acceperat.

Multa quoque per Urbis vias vulgi ex ore collegerat, multa ex libris veterum, multa ex Graecorum traditione. Elephantem narrat, quem quum puerorum multitudo insolens ludificaret atque mucronibus pungeret, iratum longo naso ex offendentibus praeripuisse unum atque in aerem sustulisse. Quod quum horrentes ac trementes reliqui pueri adspicerent, satis belluae fuit eos monuisse metu, repositaque victima, lensus iter resumpsit.

Boves pariter dicit, qui molem ita vertebant, ut certa vice quum quotidie in orbem circumvissent, nec unum quidem amplius circulum describere se patiebantur. Pariter de Bucephalo dicit, Alexandri illo equo, quem quum et ephippio imperatorio et aures loris exornassent regis, nullus iam concordere miles aut servus poterat, nisi rex.

Glaciei vim primum belluas certa mente dimetiri Plutarchus insuper animadvertisit, atque optime scire utrum tanta ea sit quae ipsarum pondus sustineat, ita ut forte, quum percutias habeant aures, earum sensus talis fiat, ut aquae rumorem deprehendant sub glacie defluentis atque inde glacie altitudinem cognoscant.

Sed inter belluas maximis laudibus extulit Plutarchus elephantem et formicam, quas ita diligebat ut tumulum earum neque ioco neque cognitionis causa everteret. Hirundinis nidos, philumelae cantus valde admirabatur, atque non secus ab Aristotile philumelas grandiores docere minores natu credebat, atque animadvertebat eas, quum in captivitate adoleverent, haud ita optime canere, ut quae liberae viverent.

Canes denique prae omnibus laudat, moremque approbat et consuetudinem sepeliendi eos non sine honore, ut fideles servos decet; atque Xantippi canem commemorat qui dominum Salaminam usque ad insulam natatu est prosequutus, dum ille navi sua cum comitatu iuvenum Atheniensium urbem relinquenter. Qui quidem fidelem bellnam in monte, prope litus, sepelivit, in loco qui sua quoque aetate, «canis sepulcrum» dicebatur.

### COLLOQUIA LATINA

#### Ludus lapidum orbicularum ad metas<sup>(1)</sup>.

- B. — Adeste oculis; iam ego experiar meum.
- E. — Perbene cadit.
- C. — Metas depangamus. Tu hanc, Eusebi; ego istam.
- D. — At enim quot passibus unam abesse placet ab altera; quod intervallum neve nimis breve, neve nimis longum fiat? Hoc enim incommodo est debilioribus, illud valentibus.
- B. — Quindecim passus mei intersint, nisi aliud videatur.
- C. — Agedum, metire spatium.
- B. — Unus, duo, tres, quatuor.....
- D. — Quinam erunt sodales inter se?
- E. — Mox sciemus. Iacite singuli. Metae proximi sodales sunt; remotiores similiter. Ego praeibo.
- B. — Sequor.
- E. — A me stabis; bonum omen victoriae. Daniel et Carolus sociabuntur sibi.
- D. — Quid, si metam attigero?
- B. — Non attinges.
- D. — Velis nolis, attigi. Iam tu cede mihi partes tuas, Basili.
- C. — Si ab ultimo incipies, patet me primum fore.
- E. — Ita est: sodalis mens est Daniel; tuus, Carole, Basilius.
- C. — Quotum ad numerum ascendendum censem, ut sit perfecta Victoria?
- E. — Ad septenarium.
- B. — Ad octonarium.
- D. — Octonarium igitur sit palmarius.
- C. — Ecquod praemium dabitur victoribus?
- B. — Qui victi fuerint victoribus ientaculum solvent.
- C., D., E. — Honestum praemium!
- E. — Initium nos facimus. Quod felix faustumque siet. Adversarius alter mihi succedet, ne continenter ludamus sodales.
- D. — Novimus morem. Ergo lude iam aut tu, Basili, aut tu, Carole.
- C. — Ecce.
- D. — Quo pacto tu Eusebium, eodem ego te superabo.

(1) Cfr. num. sup.

- C. — Non superasti. Rade metam, Basili, si potes. Doce. Duo numeramus.
- D. — Nunc prior iace, Carole.
- C. — Bene.
- E. — Melius.
- B. — Optime!
- D. — Quum supremo evasero superior, quid dicam nisi, bona pace grammaticorum, optimissime? Iam numeramus unum.
- C. — Unum numerari qui potest?
- D. — In cruciatum sophista. Procedat iactus tertius. Proh! manu fugit lapis: iterum iaciendum est.
- B. — Non patiemur.
- E. — Lex hunc ludum ludentium sanxit, ut si quis imprudens iecerit, aut si dimidiatum spatum non transmiserit, resumat lapidem ac de integro iaciatur.
- C. — Geramus morem illis; alioqui par pari referent, quod nos mordebit.
- B. — Lude rursum.
- D. — Non me poenitet iterationis huius.
- B. — At iam poenitebit.
- E. — Ha, ha, cernite, obsecro, quam scite saliat lapis Basillii. Excipe socium; Carole.
- D. — Ohe, lapis tuus, Carole, aemulatur rotam. Quot millia curret? Restas solus, Eusebi. Esto vir fortis. Vicimus. Quem numerum obtinebamus antea? Heus, Carole, ecquid ternarius potest numerari?
- C. — Longe abest ternarius ab octonario.
- E. — Quotum vos adepti?
- B. — Binarium.
- D. — Vide mihi hunc, et vince, si queas, Basili.
- B. — Vincam.
- C. — Si tu deinceps ita viceris, nos ientaculum perdidimus.
- B. — Papae! Quantum a meta disto?
- D. — Est locus, Eusebi; appropinqua.
- E. — En.
- D. — Nostra est palma
- C. — Nostra est.
- D. — Nostra est profecto. Quo pignore certas mœcum, Carole?
- C. — Tres ligulas, quas optimas habeo, depono.
- D. — Ego istum torulum de pileo.
- B. — Circumspiciamus mensuram, vimen, culmum aut tale quid.
- E. — Ecce mensuram.
- C. — Metiamur.
- E. — Fallis, o mensor.
- C. — Falleris, non fallo.
- E. — Sine, metiar ego.
- C. — Cape.
- E. — Videtis nos viciisse?
- B. — Vix tanto praeceditis, quantum est praesegmen unguis.
- E. — Et falsum autumas, et parvi refert quanto, dummodo antecedamus: siquidem non is vicit declaratur qui valde multum vicit, sed qui vincit.
- B. — Habetote quod habetis; nos spem needum eiecimus.
- D. — Ipsa spes mera est audacia. Incipe, Eusebi.
- E. — O iactum faustissimum!
- B. — O infelicem iactum meum! Nisi tu, Carole, doctius ludis, propemodum actum erit de nobis. Nos miseri, iam septem isti numerabunt.
- E. — Io triumph!
- D. — En septem; et nunc meus finem dabit. — Dedit.
- B. — Quomodo?
- D. — Accurre, aspice; ipsi metae incumbit.
- C. — Ego deiciam.
- E. — Si velle sit efficere!... Iecit; nihil promovit. Ientaculum, ientaculum!
- B., C. — Solvemus; ne clames, Stentor.

F. VAN MIERIS TABULA  
PRAESTIGIATOREM EFFINGENS.

**E**LIGAMUS non eos qui verba magna praecipitant, et in privato circulantur» ait Seneca; at contra vulgus, quod vult decipi, intentis oculis auribusque circulatoris istos et praestigiatores circumstat, iisque verbis credit magna omnis generis et salutaria promittens. Quamquam ex illius ore, quem F. Van Mieris pictor non ignobili quidem penicillo reprezentavit, umbraculo Iaponensi protectum ante tabulam, lusoriis chartis, ampullis reculisque occupatam, artem suam agentem, pueruli tantum et mulierculae audiunt; quorum aspectus internos eosque varios animi motus vive sane exprimunt. En bucconis risus insulsus; en intentio admirationis plena; et hinc portentorum stupor, inde vultus malitiosus pueri eiusdem, qui ex operantis gestu et motibus eius tricas deducere studet, dum alius, omnia negligens, pictorem intueri videtur, qui symplegma illud figurarum proxime retrahat. Quam comis denique pileatus ille pusus, sartis bracis indutus, ligneo circulo ad ludum manu ferens! Quid a praestigiatoris uxore petit? Aliquid certe sibi ipsi, quem vetula, ut a marito suo speret, arrigere satagit.

Tabula haec Florentiae, in Officiorum quae dicitur pinacotheca, asservatur.

GEOGRAPHICAE NOTAE

Samnitium ducis in Africam iter.

**A**NNO M DCCC LXXXVIII, quum Maio mense Henricus Stanley ad Eminii satrapis auxilium pergeret, baiulus quidam e militibus: «Mirare - inquit - quaeso, domine, longinquo eos montes sale vestitos!» Quae intuens Henricus Ruwenzoria vidit albescere iuga, quae ad octoginta passuum millia Eduardum inter Albertumque lacus medium per Africam distenduntur.

Serius autem ipse Africæ celeberrimus pervestigator Nilum flumen nonnisi aliunde ali repperit, quam aquis, quae ex iisdem montibus descendunt Lunaeque montes, de quibus Ptolemaeus quandam dixerat, ignotos omnibus vidiisse se reputavit. Nam et Ptolemaeus et multi post eum Arabes scriptores opinati fuerant, flumina multa hisce ex montibus defluentia, in locum coire, unde Nilum flumen oriretur. Tunc itaque celeberrima quandam loca se primum invenisse ille asseruit, quae veteribus optime comperta, diurna deinde oblivio fere abdiderat.



Sed iam anno M DCCC V Sannitium duci e Sabaudica gente mens erat montes ut ascenderet atque describeret; qui nunc profectus quantum fere post mensem eorum radices attinget, ascensumque aspernum sane incipiet, vertices nisu arripere contendens, quos hactenus viatores sex audacissimi subigere haud valuerunt. Intactum Ruwenzorii cacumen, fulgida illi meta arridet, quam frustra et Stairs, et Scott Helliot,



Praestigiator.

(Tabulam F. Van Mieris photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

et Harris Johnston, et Stuhlmannus doctor Fischerque, Davidque assequi pertinuerunt. Tum enim armis, tum comedatibus instructus ille est quam maxime, quod eius aemuli hand pariter potuerunt, famaque eum non vana sequitur et gloria, quam superioribus itineribus est adeptus. Nam et montis Aeliae sacri ipse primus verticem arripuit, et ad nordicum polum longe proximus accessit: mox eum manent laborum pleni menses glaciesque huc usque maxime impervii. Nam ex aemulis nemo ad rem ea praesertim de causa valuit, quia induita glacie eacumina ascendere impar fuisset. Ipsi igitur quum nivalia limina attigissent impotes ad proterandum evadabant.

Aliudque imo illi omen feremus, ut, quum ad montis pedes venerit, perpetuae nubes, illius quae caput obvolvunt, effugiant, integrumque sese mons videndum praebeat, ut abhinc fere anno Geilius americanus vidit, qui sese numquam vidiisse assernit illis verticibus pulchrius nive indutis, oriente sole roseo colore nitentibus; mox latera montis silvarum comis

viridantia undique, ad imas usque valles, aquis ac torrentibus interrupta ei apparet. Qui quidem adspectus perraro incolis ipsis contigit; montis enim caput nubium domus vocabatur, in quam profecto Harris Johnston, ducta licet trimestri ad montem mora, oculos intendere numquam valuit.




Audaces itineris socios labores multi, inquam, iisque aspernimi manent atque insueti. Nam ad nives ascendendas iter per maximos Africæ aestus ante ducendum vires parum firmat. Quum enim, ad quinque pedum millia iam Fischerius ascendisset Fahreneitiana metienda temperie fistula quindecim adhuc supra centum gradus indigitabat; at ad glacie limina ascensus vix decem et octo habebat.

Antequam autem glacies inveniatur, densissimas per silvas iter aperiendum est: mox coenosum transeundum ingens spatium, quod assidue pluviae, quibus nubes resolvuntur, udantesque aquae, quae ex verticibus montis

desiliunt, fere invium maximeque asperum constituant. Retumbant circa montis cacumina tonitra, fulminaque ita increpunt, ut ipsis e radicibus videantur inga iri avulsum. Deinde paries undique imminebit rupium praeruptarum, quibus fere undique tamquam vallo superiores nives praecinguntur.

His superatis per nives intactas via erit, lubea sane aquis et aspera, sed diurna quidem et lenta quam maxime; neque nisi longa ibi dueta mora optatum verticem dux attinget eiusque vestigia chartis describet. Per eam moram ventus, frigus, imbræ assidui, fortissimæ eiusque valetudini discrimen ferme gravissimum.



Haec praenunciantur fortibus viatoribus parata, quae eorum iam aemuli pessime experti sunt. Virtutem itaque atque animum ducis sociorumque nullum melius certamen evincet. Onerarii milites ducenti erunt Huganda ex regione delecti; validis iis quidem viribus atque malorum patientibus, solvendum foenus longe gravius erit quam quod alias, ad condescendendum Himalaya montem, consumptum est.

Ceterum neque montis altitudinem neque figuram nemo umquam narravit; haec vero ab Italico principe fore ut brevi revelentur, erto cum animo confidimus.

### EX ITALIS URBIBUS

De nuperis Taurinensium perturbationibus.

*Haud ignara mali miseris succurrere disco.*

Sic infelix Dido Taurinensis Romam adfari mihi videtur; ipsa enim Urbs effrenatos tuniciati populi furores passa est, et nimis animorum studiis perculta, diu multumque est in facinorosorum potentia insane iactata. Quae tempora! Qui mores!

Quarto Idus Maias, dum omnes Augustae Taurinorum cives, ingenio et natura mites laborisque patientes, suis rebus alacres studioseque incumbunt, vox passim per urbem primum incerta, mox manifesta et ferox diffunditur: operarios gossypii, qui multi sunt apud nos, postquam Regni capit Romam excessit, ab opere tumultuose recessisse, parvulam mercedem querentes, et ut sibi stips augeatur quaerere et minatur agendi tempus. Omnis civitas brevi post tempore clamoribus repletur, atque huc illuc vagari videntur opifices, quorum magna pars ex puellis constat. Hae, perversis actae opinionibus, in vias urbis se se proripiunt, voces minarum plenas passim emitunt, in heros suos, quos immodici questus inveniunt, verba altissime effutiunt, se se cupiditatis alienae mancipium praedicantes, auxilium in tot rebus adversis postulant, ni potius dicam vindictam. Et congregatim, veluti undae fluminis extra ripas supergradientes, Praefecturam petunt. Qui tunc urbis adspectus, quae universorum civium trepidatio!

Nonnulli, quos *socialistas* vocamus, haec hominum, puerorum ac puellarum agmina inconsulte dueunt, ut eorum patroni agunt, nec iam humili vultu, sed erto corpore, magna

voce se populi defensores profitentur, eiusque iura perperam neglecta tueri et res suas pro aris ac focis defendere parati.

Ipse urbis nostræ magister, vir in primis prudens, in rebus subtilis, ad pectora flectenda patiens, hoc sibi munus perficiendum suscepit; atque ita Deus eius consilio adfuit, ut iam in eo esse videretur, ut pax inter dominos et opifices componeretur; quum, nescio quo fato, omnia foedera irrita ceciderunt atque ex improviso veluti in exitium ruere visa sunt.

Tunc omnis apparuit popularium nostrorum impudentia! In illa urbis parte, ubi olim arx iussu Emmanuelis Philiberti Sabaudiae ducis, securitati et pacis diuturnitatis exstructa erat, ex ingenio praescriptoque Horatii Pacciotii urbinatis, et nostris temporibus prope ad nihilum redacta est, adsunt Comitiorum aedes quibus est nomen italicice factum *La Camera del lavoro*. Huc ex omnibus partibus, infestis animis, magna hominum foeminarumque colluvies confluit, clamitantum herorumque saevitiam incusantium. Illuc quoque omnium vaferimi, in loquendo faciles, ingenio malo pravoque, maiestatis saepe convicti, atque adeo in ancipitia coniecti, unam spem in novis rebus habentes, anxii se conferunt, huiusc facti duces, municipii consiliarii vel provinciae, vel etiam oratores populares legibus ferendis. Hi factiosos huiusmodi homines, iam ultro instinctos nequiores hortantur impelluntque, ut in dominorum auctoritatem imperiumque insurgant.

De opere longiore et de mercedula querimoniae ad opificum patronos afferuntur, dominos in ius advocari, purgare illi se se, tergiversari illos, calumnias etiam excusationibus miscere, per ambages ita populares respondent ut quaecumque fierent, trahi postea ipsi in deteriorius possent.

Exeunt tunc ex suis stationibus milites armati; at opificum patroni ita rem adstruunt, ut fugatis sociis receptus daretur, insequentibus deesset.

At sunt in utraque parte cives! Sed cur de civibus loqueris? Per aërem lapides volitant, crepitant, milites oppetunt, qui ad ordinem componendum vocati, omnia sustinent tolerantque propter animorum concordiam obtinendam.

Tunc equi vocibus clamantium, lapidum ictu, vel ipsis cultris dolose feriti, agitari cooperunt, ordines abrumpere, sessoribus haud amplius obtemperare, et necem sociorum moliri.

Et milites indurati, omnibus potius periculis se se obiectare parati, lapidibus veluti flagitosorum obruti, silent, omnia probra patiuntur et pacem praedicant. Quae modo nobis post aliquot dies, quibus clarus visum est quid possint et foeminae furentes, concordia tandem adparuit, et foedera inter opifices atque heros iterum ictu, ad laborem interceptum omnes redierunt. Quae quidem pax ut diu multumque atque in aevum adfulgeat faxit Deus!

SUBALPINUS.

*Si vere laudabilis esse cupis, laudes hominum ne requiras; quia quamvis alicui sit facile laudem non curare dum negat, est tamen difficile non delectari quum offertur.*

S. HIERON. ad Cael.

### ACTA PONTIFICIA



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII  
DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE X  
LITTERÆ ENCYCLICAE

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPO  
VARSAVIENSI ATQVE EPISCOPIS PLOCENSI  
ET LVBLINENSI APVD POLONOS

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPO  
VARSAVIENSI ATQVE EPISCOPIS PLOCENSI  
ET LVBLINENSI APVD POLONOS

PIVS PP. X  
VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tribus circiter abhinc annis huic Apostolicae Sedi rite delatum est nonnullos dioecesum vestrarum, praesertim iuniori clero, sacerdotes, consociationem quamdam pseudomonasticam, sub nomine « *Mariavitarum* » seu « *sacerdotum mysticorum* » absque ulla legitimorum Praesulium licentia, instituisse, cuius sodales sensim a recta via debitaque Episcopis subiectione « quos Spiritus Sanctus posuit regere ecclesiam Dei » deflectere et in suas evanescere cogitationes visi sunt.

Hi enim cuidam mulieri, quam sanctissimam, supernis donis mire cumulatam, plura divino lumine edoctam ac novissimis temporibus in perituri mundi salutem divinitus datum dictabant, sese totos tanquam pietatis et conscientiae magistrae committere ab eiusque nutibus pendere haud veriti sunt.

Hinc, de praetenso Dei mandato, creberima devotionis inter plebem exercitia (ceteroquin, si rite fiant, maxime commendanda) praecipue SSMI Sacramenti adorationem ac frequentissimas communiones, proprio marte et indiscriminatim promovere; quotquot autem e sacerdotibus aut Praesulibus de eiusdem feminæ sanctitate divinaque electione tantisper dubios existimarent, vel *Mariavitarum*, quam vocant, consociationi minus amicos, eos criminacionibus gravissimis impetrare non dubitarunt, ita ut metus esset ne fideles haud pauci, misere decepti, a legitimis pastoribus recessuri forent.

Quapropter, de consilio Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, decretum de memorata sacerdotum sodalitate omnino supprimenda, ac de communicatione quavis cum supra dicta muliere penitus abrumpenda, die 4 mensis Sept., an. 1904, prout Vobis notum est, edi mandavimus. At vero memorati sacerdotes, etsi documentum scripto dederint de sua erga Episcoporum auctoritatem subiectione, etsi forte cum eadem muliere necessitudines partim, ut asserunt, abruperint; nihilominus ab incepto molimine haudquaquam desisterunt, nec reprobatae suae consociatione sincero animo renuntiarunt; adeo ut non solum adhortationes et inhibitiones vestras despixerint; non solum, effronti quadam declaratione a pluribus ipsorum subscripta, communionem cum suis Episcopis respuerint; non solum seductam plebem haud uno loco concitarint ut legitimos propellerent pastores; sed etiam, perduellum more, Ecclesiam asseruerint a veritate iustitiae defecisse, ac proinde a Spiritu Sancto esse derelictam, sibique solis, sacerdotibus *Mariavitis*, divinitus datum esse populum fidelem veram pietatem edocere.

Nec satis. Paucis abhinc hebdomadibus, in Urbem venerunt duo ex huiusmodi sacerdotibus, alter Romanus Prochniewski, alter Joannes Kowalski, quem Praepositum suum, vi cuiusdam delegationis memoriae mulieris, sodales omnes agnoscunt. Hi ambo, supplici libello, de expresso Domini Nostri Iesu Christi mandato, ut alebant, conscripto, requirebant ut Supremus Ecclesiae Pastor, vel, ipsius nomine, Congregatio S. Officij documentum tradoret his verbis expressum: « Mariam Franciscam (id est praedictam mulierem) factam a Deo sanctissimam, esse matrem misericordiae pro omnibus hominibus a Deo ad salutem vocatis et electis hisce ultimis temporibus mundi; omnibus vero sacerdotibus Mariavitis esse a Deo praeceptum cultum SS. Sacramenti et Beataissimae Virginis Mariae de Perpetuo Succursu, in toto orbe terrarum, propagare, sine ulla limitationibus neque a iure ecclesiastico, neque a legibus humanis, neque a consuetudinibus, neque a quacumque potestate ecclesiastica vel humana...».

Quibus ex verbis conicere volumus sacerdotes illos, non tam forte conscientia superbis quam inscitia et fallaci rerum specie obsecratos, sicut falsi illi prophetae de quibus Ezechiel: « Vident vana et dividunt mendacium dicentes: Ait Dominus, cum Dominus minus non miserit eos; et perseveraverunt confirmando sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, et divinationem mendacem locuti estis? Et dicitis: Ait Dominus, cum ego non sim locutus» (1). Hos igitur misericorditer exceptos adhortati sumunt, posthabitis vanarum revelationum fallaciis, seipsos suaque opera salutifero Praesulum suorum regimini sincere subderent, et Christifideles ad tutam obedientiam ac reverentiam erga pastores suos viam reducere festinarent; ac denique Sedis Apostolicae aliorumque, ad quos pertinet, vigilantiae curam remitterent eas confirmandi devotionis consuetudines quae, pluribus in paroeciis dioecesum vestrarum, Venerabiles Fratres, vitae christiana plenius favendae viserentur aptiores, et vicissim eos, si qui forte essent, sacerdotes corrigendi, qui pietatis exercitia et devotionis formas in Ecclesia probatas detrectare vel parvipendere reperti forent. Haud sine animi solatio conspeximus eos, paterna Nostra benignitate commotus, ad pedes procumbere obtestarique firmam voluntatem votis nostris filiorum devotione obsequendi. Deinde iidem scripto (2) declarationem Nobis porrigendam curarunt, quae spem augebat fore ut decepti hi filii sincero animo praeteritas ludificationes abicie ad rectumque tramitem vellent redire:

« Nos semper (en verba) ad voluntatem Dei admixtum plandam, quae modo per Vicarium Eius tam clare nobis patuit, parati, sinceramente et laetissimo animo revocamus hanc nostram epistolam, quam die 1 Febr. a. c. ad Archiepiscopum Varsavien. dedimus, et in qua declaravimus nos separari ab Eo. Insuper sinceritate et cum gaudio maximo profitemur nos semper cum Episcopis nostris, in specie autem cum Episcopo Varsaviensi, unitos esse volumus, quoad usque Sanctitas Vestra id nobis iubebit. Praeterea, cum nos nomine omnium Mariavitarum modo agamus, hanc nostram professionem omnimodae obedientiae et subiectionis, nomine omnium non solum Mariavitarum sed universi coetus Adoratorum SS. Sacramenti, facimus. Specialiter autem facimus hanc professionem nomine Mariavitarum Plocensem, qui propter causam eamdem, uti Mariavitae Varsavienses, suo Episcopo declarationem porrexerunt se ab Eo separari. Ideo omnes sine exceptione ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, iterum iterumque amorem nostrum et obedientiam erga Sanctam Sedem et specialissimo modo erga Vestram Sanctitatem profitebentes, humillime veniam petimus, si quid a nobis vel propter nos paterno cordi Vestro dolorem attulerit. Denique declaramus nos statim omnibus viribus adlaboraturos ut pax populi cum Episcopis quamprimum restituatur. Immo affirmare etiam possumus pacem hanc revera brevi secuturam.

Quapropter pericundum Nobis erat sperare hosce filios Nostros benigne condonatos, vix in Poloniā reversos, operam datus, ut ea quae promiserant, re

quamprimum praestarent. Atque Ideo Vos, Venerabiles Fratres, festine voluimus admonitos, ut eosdem eorumque socios, plenam auctoritati vestrae subiectiōnem profitentes, parli misericordia exciperetis et in pristinam, si facta promissis convenienter, conditionem pro munib⁹ sacerdotalibus exercendis, ad iuris trahit, restituaretis.

At spem fecellit eventus; nuperis enim documentis rescivimus eos mentem suam mendacibus revelacionibus rursus aperuisse, et in Poloniā receptos non solum obsequiū ac subiectionis testimonium quod polliciti fuerant, nondum Vobis, Venerabiles Fratres, exhibuisse, sed etiam ad socios et plebem quamdam dedisse epistolam, veritati ac genuinae obedientiae minime consentaneam.

Verumtamen inanis est asseveratio fidelitatis erga Christi Vicarium ab iis edita, qui re non desistunt suorum Antistitutum auctoritatem infringere. Etenim ex Episcopis constat pars Ecclesiae longe augustissima, (prout legitur in epistola diei 17 mensis decembri 1888 s. m. Leonis XIII Decessoris Nostri ad Turonensem Archiepiscopum) quae nimurum doceat ac regit homines iure divino; ob eamque rem quicunque eis resistat, vel dicto audiens esse pertinaciter recusat, ille ab Ecclesia longius recedit... Contra, inquirere in acta Episcoporum, eaque reddargueret, nullo modo attinet ad privatos; verum ad eos dumtaxat attinet, qui sacro in ordine illis potestate antecedunt, praecipue ad Pontificem Maximum, quippe cui Christus non agnos modo sed oves, quotquot ubique sunt, ad pascendum commiserit. Ut summum, in gravi aliqua conquerendi materia, concessum est rem totam ad Pontificem Romanum deferre; id tamen caute moderateque, quemadmodum studium suadet communis boni, non clamitando aut oburgando, quibus modis dissidia verius offensionesque dignuntur, aut certe augentur.

Inanis pariter et subdola sacerdotis Ioannis Kowalski ad socios erroris adhortatio de pace restituenda, si contra legitimos pastores blaterationes ac rebellionum fomenta perdurent atque audaces mandatorum episcopalium violationes.

Quamobrem, ne Christifideles et quotquot ex sic dictis Mariavitis sacerdotibus in bona fide persistirunt, ludificationibus memoratae mulieris ac sacerdotis Ioannis Kowalski diutius decipientur, decretum iterum confirmamus, quo Mariavitarum consociatio, illegitimo irritoque consilio inita, omnino supprimitur, eamque suppressam reprobataque declaramus, firma manente prohibitione, ne qui e sacerdotibus, eo tantum excepto quem Plocensis Episcopus, pro sua prudenter, confessarium deputaverit, ad mulierem quam diximus, quovis praetextu accedere aut eam excipere audeant.

Vos autem, Venerabiles Fratres, vehementer hortamur, ut sacerdotes errantes, statim ac sincere resipuerint, paterna charitate amplectamini, eosque rite probatos ad munia sacerdotalia, ductu vestro, denuo obeunda vocare non renuatis. Quod si spretis adhortationibus vestris in sua contumacia perseveraverint, — quod Deus avertat — munieris erit Nostri severius in eos animadvertisi. Christi vero fideles, nunc ignoscenda ludificatione deceptos, in rectam reducere viam studeatis; atque in dioecesis vestris christianae pietatis exercitia, multiplicibus Sedi Apostolicae documentis iamdiu recenterque comprobata, eo alacrius foveatis quo liberius nunc, Deo dante, apud vos ministerium suum sacerdotes exercere fidelesque antiquae pietatis exempla aemulari valent.

Interea, caelestium beneficiorum auspiciem, paternaeque nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et clero populoque universo, vestrae fidei vigilantiaeque commiso, Apostolicam Beneficitionem peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die v aprilis M DCCCVI, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIVS PP. X.



## DIARIUM VATICANUM.

(Die xxii mens. April. - d. xx mens. Maii M DCCCVI).

### Coram SS. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites, aliosque viros, qui sui cuiusque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Bolivianae civitatis minister apud Apostolicam Sedem; Germanorum urbana colonia una cum peregrinis qui Romam his diebus advenerunt ad V centenaria sollemnia celebranda a Teutonico hospitio Romae condito; Belgae peregrini ab excēto viro Antonio Stillemans, episcopo Gandaven. coram adducti; Bononiensis legatio mulierum e Societate S. Vincentii de Paula; manus peregrinorum ex Piceno, Umbria ac regno Wurtembourgesi; Maharajar-Dhiraj Bahadur of Burdwan, Indorum princeps; De Riederer dynasta; De la Faille de Leverghem, Comes, a secretis Belgicae legationis, eiusque familia; Societatis e Catholica Italorum Iuventute legati, qui Romam convenerunt ad praesidem suum eligendum.

### Pontificiae electiones.

Ioannes Georgius Hagen e Societate Iesu Vaticanae speculae rector dicitur.

### Vita functi viri clariores.

Die xxii mens. Aprilis, emus vir **Iosephus Guilelmus Labouré**, Rhedonensis archiepiscopus, Achiet-le-Petit in oppido Gallicae dioec. Atrabaten. natus d. XXVII mens. Oct. an. M DCCC XL, episc. Cenomanen. creatus d. XXVII mens. Martii an. M DCCCLXXXV, ad Rhedonensem, Dolen. et St. Maclovien. metropolitanum promotus d. XV mens. Iunii an. M DCCC XCIII, in Sacrum Senatum cooptatus d. XIX mens. April. an. M DCCC XCIV tit. S. Mariae Novae et S. Franciscae ad Forum Romanum.

— Die xv mens. Maii excēto vir **Theodorus Dallhoff** S. I. archiepiscopus Bombayen, Echelnopten in oppido Paderbornen. dioecesis natus d. XX mens. April. an. M DCCC XXXVII, episcopus creatus d. XVI mens. Decembr. an. M DCCC XCI.

— Die xx excēto vir **Thomas De Stefano**, archiepiscopus Tranen. et Barolen., Montis-fortis in oppido dioec. Abellinen. natus d. VI mens. Iulii an. M DCCCLIII, episcopus Rubin. et Bituntin. creatus d. X mens. Ianuarii an. M DCCC XCIII, ad metropolitanam Tranensem promotus d. XXIV mens. Martii an. M DCCC XCIV.

### Varia.

Die VII mens. Maii in Consistorii aula coram SS. promulgantur decreta tum de duabus miraculis a Deo patratis intercedente V. S. D. Fr. Bonaventura Gran, Barcinonensi, laico professo Ord. Min. S. Francisci, tum ut tuto procedi possit ad ipsius V. S. D. Beatificationem.

— Die XIII in Vaticana basilica in album Beatorum refertur V. S. D. Iulia Billiart, Congregationis Sororum a Nostra Domina institutrix. Sub vespere Pontifex in basilicam descendit novam « Beata » veneraturus.

— Die xx pariter in Vaticana basilica « Beati » declarantur W. SS. Dei Ordinis Praedicatorum Franciscus Gil de Federich, Matthaeus Alonzus Leziniana, Hyacinthus Castaneda, Vincentius Liem a Pace, Sacerdotes Missionarii; itemque Hieronymus Hermosilla, Valentinus Berrio-Ochoa, Episcopi et Vicarii Apostolici; Petrus Almato, Sacerdos Missionarius et Iosephus Khang, in Tunquinensi regione in odium Christianae fidei interempti. Pontifex vero basilicam non adit, levi morbo laborans.

(1) Ezechiel, XIII, 6, 7.

(2) Die 20 Febr. an. curr.

## ANNALES.

*Russicus coetus legibus ferendis primum coactus.*

Novissimi temporis eventus civilis, magni quidem momenti, Russica in terra contigit. Proximis enim diebus, tot post saecula, ius legum ferendarum, quod populus obtinuit, primum exeruit. Nam coactis ubique per imperii fines comitiis ad oratores populi, Caesaris iuxta decreta, eligendos, iisque plerumque delectis, convenere tandem legati in aulam sibi additam, ut libertatem quam sunt adepti optime exercerent. Itaque hinc huinsmodi legati, inde ipsius quoque Caesaris consiliarii congregati sunt, multisque orationibus recitatis, formulam utrinque conceperunt gratulatoriam Caesari suo exhibendam; qua simul veniam expetiverunt perquam benignam iis elargiendam reis, qui supremas inter perturbationes maiestatis forte criminis peccavissent. Quibus precibus quid responsurus sit Caesar brevi audiens. Attamen Witte ille comes, vir prudentissimus, qui tum Iaponici belli pacem composuit, tum animos popularium sedavit atque clades civiles reprehendas curavit, tum denique Caesaris animum ad libertatis dona elargienda flexit, ille vir, cui hodiernae concordiae pretium praecipue est adscribendum, coactis vix primis popularium comitiis, civium animum parum gratum, ut saepe fit, ita in se sensit, ut suo munere, tamquam post perfectum laborem, abdicaverit. Itaque alii etiam post eum summi reipublicae gestores ab officio recesserunt, quos inter Lamsdorffius, qui extera negotia moderabatur. Quorum in locum Goremykinus atque Iswolskius delecti sunt.

*Turcarum cum Aegyptiis discordia.*

Cum Turcis discordia apud Aegyptios recens oborta est ex Turcarum incursione, qui Tabah regionem suis copiis invasere; eaque nondum omnino componi valuit. Successerunt Anglorum irae, quibus prolata a Turcarum Caesare resarcimenta hand satis esse apparuere. Igitur Anglus legatus sibi suisque civibus nova quaequivit; quae negant Turcae, ita ut iam tradant classem ab Anglis instrui, quae Turcarum ad horas appellat, eosque minis ad satisfaciendum cogat, quod numquam sponte certe agent.

*Mauritanie seditiones.*

In Mauritania perturbationes renovantur. Illius enim regis copiae fere quotidie cum perduellis reguli copiis decertant, ac, quamvis superiores discedant, in pace tamen restituere publicam rem nequeunt. Nam et pyratarum sensim traduntur crimina non sine crudelitate Iberos praesertim contra navicularios admissa.

In proxima autem Punica terra, prope Tunesim, Sidi-Mohamed regulus mortuus est, suo Gallico ab itinere prope redux, cuius in locum Nasr-bey nepos, regionis regimen obtinuit.

*Balcanicae res.*

Balcanica autem in peninsula inquieta semper populorum pax. Nam Graecorum Bulgaro-

rumque praesertim fervent animi ad invicem concitati. Quorum nonnulla agmina, praedae causa an odii id agant non liquet, sese vicissim saepe multis cladibus afficiunt, praediaque vastant finesque depopulantur. Sed Turcarum ille rex optimo quidem animo hasce discordias intuetur, immo, quoad licet, fovet et alit, iure ratus discordes inter hostes suam melius in dies firmari securitatem.

*Guilelmii Caesaris itineria.*

Ea inter Guilelmus Caesar, sua uti solet pergit itinera, non sine reipublicae ratione: modo ad Lotharingios descendit et Thionville urbem visitavit. Qua in urbe postquam copias ibi castra habentes lustrasset, orationem de pace servanda habuit amplissimam, illud tam summum commentatus: « si vis pacem para bellum ». Brevi vero eum nunciant in Austros prefecturn, Hungarorumque in urbe capite Franciscum Iosepham salutaturum, ut suum erga senem imperatorem studium iterum publice obtestetur.

*Olympici ludi.*

Graeciae autem in litore prope Athenas in stadio panathenaico olympici ludi celebrati sunt splendidissime, more maiorum in novato atque additis certaminibus novissimis birotarum, manuballistarum, aliorumque, quae a maioribus numquam fuerant auditi. Adfuerere ludis et Eduardus Anglorum rex eiusque regalis uxor Alexandra, dum aequa fortuna singulis ex omnigenite athletis aliquam lauream arripere posset.

*Regiae nuptiae.*

Sed faustissima omnium Hispani praebent, quorum iam rex Victoriam e Battenbergia domo ducet uxorem, cuncto gratulante populo et laetante, qui tali e connubio novam regum fortisimorum sobolem sibi sperat et avet.

**PUBLICI PER ORBEM COETUS  
LEGIBUS FERENDIS.**

In Anglia coram municipum legatis de armorum vi minuenda rogatio oblata et vehementi disceptatione examinata. Rogatio fuit ut promoveretur inter gentes foedus, quo liceret tandem arma minuere; quam unanimi suffragio legati ratam habuere. At postremo de suffragio ad populi legatos eligendos mulieribus communicando reiecta rogatio. Contra, de religionis documentis publicis in scholis non tradendis lex lata est.

In Austria Hohenlohe princeps, qui summam rerum gerit, de iure suffragii ad populares legatos eligendos dilatando fusam habuit orationem, atque tum Polonorum, tum Bohemorum votis se quam optime satisfacturum promisit.

In Gallia habitae ubique popularium legatorum novae electiones eo tandem exitu, qui administrorum factioni maxime arriserit; neque catholicis suffragiis datum est quidquam, unde Ecclesiæ libertati meliores dies sperare liceat.

In Hungaria Wekerle summus reipublicae moderator adlectus est, qui sibi commerciorum gestorem Kossuth addixit. Hic vero de odio in Germanos imperii socios non fovendo orationem habuit.

In Italia administratorum collegium, Sonnino praeside, a munere recessit.

In Lusitania habitae electiones ad populi legatos diligendos: adlecta vero manus ea ibi quoque est, quae administris, quibus Huitze Ribeiro praecedit, quam maxime favet.

In Russia habita tum in Senatu tum in popularium legatorum comitiis auguralis prima sessio solemnissime. Uterque coetus suos sibi praesides delegit; mox multis ac fusis orationibus disceptatum est qua potissimum formula Caesari ob concessam libertatem grates redendae essent; ac tandem ratio accepta est qua etiam venia pro maiestatis reis amplissima expetetur.

Spatio deficiente, ad proximum numerum  
**PER ORBEM.**

## AENIGMATA.

I.

Laevum infasta gerit vitae, vel fausta secundum;  
Si legis a planta, quemlibet esse negat.

II.

Arcanum mala terrigenis tulit; idque salutem  
Fert, ipsum a planta dummodo perlegeres.

F. X. B.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Aenigmata an. IX, n. III proposita his respondent:

1) Fla - bellum; 2) Noctu - a.

Ea rite soluta miserunt:

Senior Astensis. — Petrus Tergestinus. — Rich. Brondel, Brugis. — Renk par, Davenportu. — I. Walter, Neo-Eboraco. — Arn. Blekman, Haga. — I. Ortiz, Morelia. — F. Arnori, Mediolano.

Sortitus est praemium:

RICHARDUS BRONDEL,  
ad quem missum est opus, cui titulus:

IOANNIS BAPTISTAE PESENTI  
PUERILIA.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Socios et lectores admonere iurat, libros recens editos atque ad nos missos ut in *Voce Urbis* eorum notitia detur, apud administratorem nostrum, nisi contra aperte declaretur, minime venundari. Si quis igitur alterum eorum sibi cupiat, petat necesse est ab editore, quem semper indicamus.

Mons. G. B. LUGARI. Il Dufourcq e l'anno della morte di S. Pietro. (Estratto dal *Bessarione* - Rivista di studi orientali - Anno X, Serie 2<sup>a</sup>, vol. x, fasc. 88). - Romae, ex off. V. Salviucci, M DCCCC VI.

Sac. Dott. G. B. FRANCESIA. L'assedio e la libberazione di Torino (2<sup>a</sup> edizione). - Augustae Taurin. edid. off. Salesiana, M DCCCC VI. - (Ven. lib. 0,50).

ROSA ARRIGONI. Eloquenza sacra Italiana del secolo XVII. Osservazioni critiche. - Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., M DCCCC VI. - (Ven. lib. 0,80).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis, Phil. Cuggiani.

ZENO — Tragoedia JOSEPHI SIMONIS Angli.

(5)

(Passim retractavit hodiernisque scenis aptavit I. F.)

PELAG.

Bella dum regni fibras  
Alte lassunt! Omne vitiorum Chaos  
Erebique pestes, multus Aegisti vapor  
Et flamma Phaedrae: vis, dolus, caedes, nefas  
Grassantur intus. Curia egressum malum  
Gradus per omnes errat, ac late luem  
Spargit nocentem. Caesar, ingentem dies  
Heroa poscit, cuius et regnum labor,  
Et cura plebem, vita Magnates, fidem  
Pietas, nocentes poena, benemeritos honor  
Aut praecitat aut sequantur. Astrorum iubar  
Mundo salubres fundit ex alto faces.  
At si minaces igne sanguineo comas  
Trahens Cometa regnet, heu quantum solo  
Instat malorum! Sceptra cui credas, vide:  
Generosa reges vita, non sanguis facit.

LONG. (1) O pestilentis lingua praedonis! Furor,  
Furor protervum damnet Inferno Iovi.

URBIT. Compesce, Princeps, tela...

LONG.

Proh mendax probrum!  
Egone Cometes igne sanguineo rubens?...  
Vindicta, Frater!... Sistis?... Aeternas geram  
Ultrace flammas mente... Devovi!... Sat est! (2)

PELAG. Ita est. Verendi sacra maiestas fori  
Periit; senatus horror, et fandi inclyta  
Quondam potestas periit! O caeli fidem!  
Tuere, Princeps, iura purpureae togae.

ZEN. Et tu probrosas disce verborum faces  
Attemperare melius. Imperii duces  
Audax momordit oris insulsi tremor.

PELAG. Fraudes amorem; veritas odium creat.  
ZEN. Nil iam Solones, nil Aristippos moror.  
Fratremne sceptris admoveas?

PELAG. Sceptro pares  
Ubi geret animos. Regna subvertit furor.  
ZEN. Sic imperatur? Fungus Augusto abnuit,  
Quod imperare vis reluctant potest?  
Regnabit. Umbras iuro Tartarii lacus!  
Sit peior Orco, sit styge et furiis satus,  
Regnabit. Orbis rector immensi iubet;  
Fremat senatus. Iura privatos regant;  
Libido reges. Qua volet princeps eat;  
Cui qui resistet, sceptra malesuadus regat (3).

SCENA VI.

PELAGIUS, EUPHEMIUS, deinde NUNCII DUO, GAZAEUS  
et CHORUS PUEGORUM.

PELAG. Pergit, furenti qualis impulsu ruit  
Per vasta Lybiae spatia flagrantis, leo,  
Catalis ademptis. Quam rebellantes habet  
Indomita motus ira! Proh saecli lues!  
In quae voluti monstra succrescunt dies!  
Quae turba rerum! Quanta vitiorum sedet  
Ubique facies! Regna praecipitat furor.  
Non iuris ordo curiam, aut legum metus,

(1) *Irae impatiens, e latibris stricto pugione in Pelagium irruit.*

(2) *Exit furens.*

(3) *Exiens et Zeno furibundus, proicit sceptrum ad pedes Pelagi, qui sublatum e terra, osculatur et in sede imperatoria reponit.*

Non mens Senatum pura, non Themis regit.  
Horroris Orcus specimen hic cernit sui;  
Ius arma tractat; foedera lubido ferit;  
Consilia versat livor; ambitio iubet;  
Vis iussa peragit, parque stat iussis opus;  
Expulsa pietas; candor erasus perit;  
Fregit bilancem Astraea, cancellos pudor;  
Invidia pacem trudit, errores fidem;  
Fas omne cedit; omne succedit nefas.  
Quam saeva rebus fata! Quam praeceps malum  
Instare video.

EUPH.

Grandis exitii minas,  
Fateor, coactus nube sub gradata vapor  
Nimbos et ignes spirat; at medicae tamen  
Spes nulla dextrae?

PELAG.

Nulla, ceu video, salus:  
Quid astra sperent, peccat ubi solis iubar?  
Regnum cruentat Zeno, vitiorum sator,  
Cruore madidus, arte Circaea potens.  
Peior nefando fratre Longinus furit,  
Et impotenti poscit imperium ambitu.  
Favet ambienti Zeno; restitimus palam,  
Quid consecuti? Tela, vim, fati minas (1)

NUNTIUS I. Heu flamma, flamma, flamma! Date, cives,  
[opem!

Propera, Pelagi! Turma Longini tuos  
Populatur agros; flamma per laetos volat  
Boum labores.

PELAG.

Parce vindictae, Deus!

NUNTIUS II. Heu flamma! Victor saevit in sylvas rogus;  
Tectis timetur.

PELAG.

Flamma nil vastat mei.  
Quisquis caducae spolia fortunae rapit,  
Aliena raptat; mente sepositas opes  
Vis nulla flammae, nullus eripiet dolus.

EUPH.

Sic, sic restantis obvium Boreae minis  
Oppone pectus, mole sta celsus tua,  
Compositus animo, mentis impavidae tenax (2).

CHORUS. Miserere, Praesul.

EUPH.

Unde puerorum chorus  
Squalente moestus ore? Quid portas novi?  
GAZAEUS. Quem cernis atro squalidum luctu gregem,  
Parentibus orbavit Augusti furor,  
Comitante fratre. Causa violentae necis,  
Aut pulchra mater, opibus aut felix domus,  
Aut clara virtus patris.

EUPH.

O rerum vices!  
Tu (3) fluctuant sola regnorum salus,  
Qui corda regum fingis artifice manu,  
Sequerisque culpas ultor, o cohibe flagrum,  
O statue tandem rebus eversis modum;  
Haec intuere pubis innocuae mala!  
Orata superis causa. Tu, caeli pugil,  
Invictus obsta. Si qua se melior seret  
Fortuna rerum, qua licet, tempus preme.

(Ad proximum numerum).

(1) *Ingredientur nuntii, alter post alterum.*

(2) *Intrat Chorus Puerorum atratus cum Gazaeo rhetore.*

(3) *Flectunt omnes.*

## SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

---

## SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

---

## SATURIO

Comœdia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. I.

☞ IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. ☞